



16



23

M E D I C A T I O
 V I R I
 H Y D R O P E A S C I T E
 L A B O R A N T I S.

Q V A M
 Divino adjuvante Numine,
 S U B P R A E S I D I O

V I R I C L A R I S S I M I
 D. H E N R I C I R E G I I,
 Reip. Ultrajectinae Poliatri, & Medicinae
 ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam proponit
 J A C O B U S B R U Y N I N G I U S, Amstelo-Batav.
Ad diem 15. Septemb. horâ 9. matutinâ.



Naturâ & Industriâ.

T R A J E C T I A D R H E N U M,
 Ex Officinâ I O H A N N I S à N O O R T D Y C K, in Acad.
 T y p o g . A N N O 1 6 4 7 .





Gravissimis, Spectatissimis, & Clarissimis Viris

- D. SAMUELI COSTERO, Medicinæ
Doctore, & Xenodochii, ac Reipubl. Amstelodamensis,
Medico ordinario; innumerâ rerum experienciâ versatissimo;
studiorum meorum promotori faventissimo.
- D. FRANCISCO de VICQ, Orphanotrophii Medico ordinario, ac in Reipubl. Amstelodamensi Medicinæ Doctore experientissimo.
- D. DANIELI ARMINIO, Societatis Ind. Orientalis Medico ordinario; nec non in Reipubl. Amstelodamensi Medicinæ Doctore vigilantissimo.
- D. HENRICO REGIO, Medico & Philosopho exactissimo, Reip. Ultrajectinæ Poliastro, Medicinæ ac Botanices Profess. Doctissimo, Præceptori ac Præsidi plurimum colendo.

Hanc Medicationem submissè

D. D. C. Q.

JACOBUS BRUYNINGIUS.

M E D I C A T I O

V I R I

HYDROPE ASCITE

LABORANTIS.

I.

Vir triginta quinque annorum, feбри tertiana intermitten-
te duplici aliquamdiu afflictus, & postea, ex mala victus ra-
tione, in continuam; ac inde iterum in tertianam duplicem pro-
lapsus; eaque per integrum mensem fatigatus; dum nullis aut
paucissimis remediis uteretur, ac multum potum ingurgitaret;
paulatim, jam à duobus mensibus, incidit in insignem abdomi-
nis, scroti, & crurum tumorem: cui nunc adest respirandi dif-
ficultas, virium debilitas, faciei ac totius corporis pallor, sitis
perpetua, appetitus prostratus, & imi ventris, ubi aeger se in le-
cto de latere in latus circumvolvitur, fluctuatio. Urina est pauca,
aquosa, & sedimento carens.

II.

Afficiuntur in hoc aegro crura, scrotum, & imprimis imus
venter; idque secundum illam cavitatem, quæ est intra perito-
næum & intestina; quod constat ex eorum tumore, & fluctua-
tione in abdomine percepta. Læditur quoque jecur, cum Lie-
ne & vasis gastricis, mesaraicis, aliisque chylosi & chymosi in-
servientibus; quod indicat totius corporis, & præsertim faciei,
pallor, item ventris & crurum, ab aquis in iis collectis, tumor.

III.

Morbus qui ipsum affligit, est intemperies sanguinis, & mul-
torum imi ventris viscerum, serosa; quæ multam aquam in ab-
domen, scrotum, & crura, effundens, illaque hac in tumorem
attollens, *Hydrops ascites* dicitur.

Bb 3

Causa



IV.

Causa procatarctica hujus morbi sunt, febrēs illæ, quibus æger tamdiu fuit afflictus. Hinc enim calor natus in partibus chylofi & chymosi inservientibus primò quidem fuit plus justo intensus; sed postea per dissipationem spirituum & pororum a-pertionem imminutus; qui deinde serosos & crassos humores, ex copioso illo potu & aliis assumtis alimentis, in vasis, & obstructions in quibusdam partibus, pariens, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò serosæ istius materiæ ex vasis & visceribus, propter malam cum reliquo sanguine, a debilitato calore, commixtionem, in cavitatem abdominis, per evaporationem, & forsan etiam diapedesin, sese effundens, & in liquorem, tum propter loci angustiam, tum ob minorem interioris superficiei ventris calorem, coiens, ac in scrotum & crura delabens, partesque illas suâ copiâ extendens & in tumorem attollens, *continens* hujus morbi & symptomatum evadit causa.

V.

Dum enim aqua illa, cum sanguine reliquo mixta, ad corpus recte nutriendum & calefaciendum est ineptior; hinc oritur totius corporis debilitas ac pallor. In abdomen vero diffusa, & ob circumvolutionem ægri, ab uno latere in alterum, inter intestina, magno impetu ruens, fluctuationis excitat perceptionem. Et, copiâ suâ abdominis cavitatem replens, impedit justam diaphragmatis, in inspiratione necessariam, depressionem, eoque respirandi inducit difficultatem. Secundum exteriorem verò vasorum, in scrotum & crura ex abdomine desinentium, superficiem, in illas partes copiosè descendens magnum earum facit tumorem.

VI.

Et quoniam serum maxima ex parte, jam dicta ratione, ex vasis abdominis in cavitatem imi ventris exhalat, & per eorum poros nimis apertos forsan etiam transsudat; serumque, quod paucum in vasis remanet, ob debilitatem caloris est crudum: hinc parum seri ad renes defertur, urinaque pauca & cruda,
cum

cum nullo sedimento, excernitur. Quò etiam multum facit pororum renum obstructio, & intemperies sanguinis frigidior, qua serum ineptius evadit, quam ut vi renum obstructorum à reliquo sanguine separetur.

VII.

Eadem aqua, secundum partes inspidas, magnam partem per insensibilem transpirationem dissipata, & salsas, quæ difficiliter, ob rigiditatem & crassitiem suam, per poros abdominis dissipari possunt, in ventre retenta, majorem indies falsedinem acquirit. Eaque, superiori ventriculi parti sese perpetuò insinuans, sitim parit perpetuam. In ventriculum verò defluens & succum acrem, famis irritamentum, aquositate & falsedine ibi temperans, prosternit penitus ægri appetitum.

VIII.

Dico serum, propter debilem viscerum vasorum & sanguinis calorem nativum, non satis bene cum reliquo sanguine mistum & ideo facile ab eo separabile, per exhalationem potissimum, ex visceribus & eorum vasis, cavitatem abdominis ingredi, ibique in liquorem, propter causas jam dictas, coagulari: quia hic ejus ingressus est facillimus, utpote qui majores pororum apertiones, quales in diapedesi & diæresi requiruntur, non desideret; nec per anastomôsin, cum venarum & arteriarum extrema, per universum corpus, sint continua, fieri queat.

IX.

Neque seri in abdomine collecti falsedo his quicquam adversatur; cum particulæ seri salsæ, quæ hîc nullam sublimem difficilemque evectionem, sed lateralem facilemque tantum è vasorum & viscerum poris in abdomen ingressum, ibique cum partibus aquosis mixtionem, jimo sæpissime descensum solummodo postulent, facile à vaporibus aquosis, per tenues viscerum & vasorum tunicas, hic sæpe nimium dilatatas in abdominis crassi cavitatem, saltem sensim propelli, ibique facile ob abdominis crassitiem

Bb 3

retineri,

retineri, & ita magnâ copiâ colligi in eo queant. Et certè cum falsæ feri partes ex abdomine in crassum & densum œsophagum impellantur; ibique sitim, ut diximus, faciant, nullam causam video, cur non eadem, per tenues & raras vasorum & viscerum tunicas, in abdomen satis copiosè impelli possint.

X.

Morbus hic valde est periculosus: cum aliis morbis supervenerit; & chymosis hic sit læsa; ac aqua per pharmaca difficulter; per parax^{es}tesin verò periculosissimè educi; intemperiesque viscerum vasorum & sanguinis difficillimè corrigi, ac proinde aquarum in abdomine collectio summa difficultate impediri possit. Quia tamen morbus est recens, & æger juvenis, de recuperatione sanitatis desperandum non censeo.

XI.

Curatio primo quoque tempore est auspicanda. Eaque consistet in causæ continentis & antecedentis ablatione, & intemperiei ac obstructionum, per contraria, correctione.

Itaque æger alternis diebus una hujus pulveris dosi subinde purgetur:

*Rx. senna mund.; turbitis gummosi, hermodactylor.;
sem. ebuli, salappæ, mechoacanna an dragm. ij.
gutta gambi dragm. s.
spec. diambra, diarhod. abbat.,
sem. fœniculi ana scrup. j.
saccari cãndi dragm. ij.*

*F. pulvis, cujus dragm. una vel dua infundantur per nos.
Et em in vini rhenani unc. iiij.
sumatque mane vinum & pulverem.*

XII.

Ubi bis terve purgatus fuerit, perveniendum ad diuretica; quæ serum sanguine exquisitius miscebunt, & evacuationi, per renes feliciter instituentur, adaptabunt; obstructiones tollent; ac viscerum intemperiem corrigent; qualè ex. gr. hoc est:

Rx. rad:

℞. rad: apij, petroselini, enula camp. an. vnc. j.
 cortic. mediani fraxini, tamarisci an. vnc. s.
 rad. azari dragm. ij.
 fol. agrimonia, ceterach, capillor. vener.
 cichorij, chamedyos, centaurei min.
 absinthij vulgar. & romani an. m. j.
 sem. anisi, petroselini, dauci an. dragm. ij.
 flor. genista, sambuci an. p. j. tamarindor. vnc. ij.
 coquantur in aq. communi ad quartaria quinque.
 in colatura dissolve syr. de limonib. vnc. ij.

M. F. Apozema, pro quatuor dosibus matutinis: addendo u-
 nicuique dosi salis juniperini, stipitum fabarum, & genista,
 ana scrup. j. spiritus salis scrup. s. vel scrup. j.

Consumto hoc apozemate, idem vel simile sæpius reitere-
 tur. Pro potu ordinario utatur vino albo ex infusione chalibis
 parato; cum ptisana, ex decocto agrimoniae, ceterach, capill.
 veneris, & corticum, median. tamarisci, composita. Ad si-
 tim extinguendam in ptisanæ ordinariæ sive cerevisiæ lib. iij.
 dissolvatur salis petrae, optime purificati vnc. s.; eaque utatur
 pro potu ordinario cum vino chalibeato.

Verum bibat quam parcissime, & sitim toleret quantum
 potest.

XIII.

In censu diureticorum numerantur etiam aquæ spadanae,
 aliaque minerales acidulae & vitriolatae; utpote quæ viscera
 potenter deobstruant, aquas per urinas evacuent, & viscerum
 vasorumque intemperiem emendent. Atque hinc quotannis
 multi hydropici, usu aquarum spadandarum percurantur.

Hæ etiam, sed magnâ copiâ, usurpari poterunt, si facile
 & copiosè cum urinis transeant: alioqui erunt prætermitten-
 dae; quippe inutiles & noxiæ futuræ.

XIV.

Si his vel similibus remediis morbus non cedat, cogitandum
 erit de evacuatione aquarum, per parax^{tes} in abdominis, in-
 fra

fra umbilicum, vel ad latus, cute prius deorsum tractâ, vel per puncturam scroti, vel levem scarificationem surarum, vel vesicatoria talis adhibita, instituendâ; sed cum magni periculi admonitione.

Confugiendum etiam ad ea, quæ foris adhibita serum discutiant: ut ad lotiones, per aquas falsas & sulphureas, vel cataplasmata. ex rad. cucumeris asinini, bryoniæ, rutâ, fimo caprino, columbino, vaccino, farina lupinorum, sulphure & similibus; ut

℞. fimi bovini siccati lib. j.
sulphuris vivi, sem. cumini pulv. an, dragm. ij.
urinae pueri q. s. F. cataplasma, tumidis
cruribus & scroto adhibendum.

XV.

Toto autem curationis decursu roborantia nunquam omitenda. Quia frustra aquas educimus, nisi novam earum generationem, per ea, quæ viscera reficiunt, & ad pristinam temperiem revocant, inhibeamus.

Inter præcipua roborantia recensenda est aqua cinamomi; cujus cochlear unum mane vel ante cænâ exhiberi poterit. Vel usurpetur electuariû diarrhodon abbatis, vel de passulis, dimidiæ uncia quantitate, mane exhibendû; cujus descriptio talis est:

℞. passularum corinth. mundat. lib. s. coquantur in vino generoso ad pulpis consistentiam, contusas trajice per sotaceum, & admisce conserve anthos, cort. citri conditi, cinnamomi acerrimi an. dragm. j. pulv. aromatici rosati, diamargariti calid., diacinnamomi, an. dragm. s. croci scrup. s. M. F. electuarium molle. XVI.

In victus ratione, aër sit modicè calidus, & siccus. Cibus ex carnis gallinaceis & vervecinis, ex ovis forbilibus; & vesperi potius assus, quam elixus, ac cinnamomo & gariophyllis conditus. Potus, præter jam præscriptû, sit vinû tenue, parcissimè sumptû. Exercitium moderatum fiat ambulatione, navigatione, frictione, somnus sit moderatus. Alvi excrementa respondeant quotidie alimentis assumtis. Venus & tristitia fugiantur.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



Sl





OLLARIA.

actica; ejusque forma, finis, effectum,
ederi humana valetudini.

s per vas breve venosum non transmit-

uno eodemque calore generantur.

it sanguis per arterias ad cor.

ū systole & diastole eodem fiunt tēpore.

ab aëre impulso.

ælestis & elementaris.

x-rite colorchecker CLASSIC

M E D I C A T I O

V I R I

HYDROPE ASCITE

LABORANTIS.

Q V A M

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

V I R I C L A R I S S I M I

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ

ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam proponit

JACOBUS BRUYNINGIUS, Amstelo-Batav.

Ad diem 15. Septemb. horâ 9. matutinâ.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK, in Acad.

Typog. ANNO 1647.